



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro cordis stabilitate & nuditate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

affici, quo faciem animæ meæ peccatorum fuligine obductam expurgares, & renouares, concede obsecro mihi gratiam tuam, ne vnquam eandem sordidis cogitationibus, impuris affectionibus, aut illicitis operibus & obscenis verbis commaculem: sed integram, omnisq; maculæ expertem iugiter tibi custodiam, atque in puritate, simplicitateq; cordis omne tempus meum post hac tranfigam, omnibusq; quibus cum viuo bonum conuersandi exemplum tradam, & post me relinquam.

Imprime quoque & renoua in anima mea clarissimam & splendidissimam faciem tuam, quoties contigerit me à te per carnis infirmitatem, aut aliam ob causam, auerti, ne cæcitate percussus tui ignorantiam incurram, vt hic dulci tua familiaritate priuatus, postmodum cælesti tua gloria desituar, Amen.

Pro cordis stabilitate, & nuditate, Precatio.

Quæso te benignissime Iesu, da mihi cor stabile quod nulla à te abstrahat enagatio: da rectum, quod nulla obliquet sinistra intentio: da simplex, quod nulla distrahat curiosa cogitatio: da nudum, quod nulla occupet formarum aut rerum sensibilibus imaginatio: da castum atq; feruidum, quod indigna nulla tangat affectio.

Dulcis Iesu, da mihi cor mundum ac nouum, da mihi cor secundam cor tuum, quod tibi perfectissime ac semper placeat, quodq; semper inhabitare te delectet. Dulcis Iesu, si non vis reformare cor meum, tunc auferas à me & da mihi cor tuum, Amen.

Pro deuotione stabilitateq; cordis in laudibus Dei ad B. Virginem Mariam, Precatio.

O dignissima Dei genitrix virgo Maria, propter filij tui sanctissima vulnera, quæ animam tuam sanctissimam difsecuerunt, omniq; dolore repleuerunt, oro te humiliter, vt omnem leuitatem cordis atque instabilitatem mentis longè à me profliges, vt sancta compunctione peccata mea incessanter deplem, & ad æternam vitam mundi contemptis voluptatibus & delictis, ardentissimis desiderijs aspirem.

Impetra etiam mihi ô pia mater in omni loco & tempore: præcipuè autem in diuinis laudibus, veram cordis deuotionem, puritatem & munditiam, vt ea ad quæ ex Ordinis vel status mei obligatione teneor, deuotè, attentè & reuerenter in conspectu summæ Maiestatis filij tui persoluam, ne aliquam filio tuo aut tibi, ô reuerenda mater, irreuerentiam exhibeam, aut inimicis meis occasionem calumniandi me propter cordis vel sensuum dissolutionem, præstem, Amen.

Pro puritate & simplicitate cordis ad eandem, Precatio.

O Maris stella lucidissima, mœstorum consolatrix dulcissima, miserorum adiutrix potentissima, reorum aduocata promptissima, desperatorum spes vnica, domina mea benignissima semper virgo Maria, impetra mihi obsecro à dulci filio tuo Domino meo Iesu Christo cor simplex, rectum & mundum, cor piûm & humile, cor gemina charitate & omnigenis virtutum floribus exornatû, cor aptum & ad omnem diuinam inspirationem recipiendam, paratum, Amen.

Pro vera ad Deum conuersione, Precatio.

O Iesu suauissime, qui omnibus à te auertis compendiosam ad te reuertendi tradidisti semitam, dicens: *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum,* & per Prophetam tuum loquutus es, dicens.

Matth. 18.

cens.